

nat. 1,10

Qui autem requirunt,
quid quaque de re ipsi sentiamus,
curiosius id faciunt, quam necesse est;
non enim tam auctoritas in disputando
quam rationis momenta quaerenda sunt.

Lucullus §7-8

Neque nostrae disputationes quicquam aliud agunt
nisi ut in utramque partem
dicendo et audiendo
eliant et tamquam exprimant aliquid
quod aut verum sit
aut ad id quam proxime accedat;
Nec inter nos et eos,
qui se scire arbitrantur
quicquam interest nisi quod
illi non dubitant quin ea vera sint,
quae defendunt,
nos probabilia multa habemus,
quae sequi facile,
affirmare vix possumus.

Lucullus § 9

Sed nescio quo modo
plerique errare malunt
eamque sententiam quam adamaverunt pugnacissime defendere
quam sine pertinacia,
quid constantissime dicatur, exquirere.

div. 2,2

Cumque fundamentum esset philosophiae positum in finibus bonorum et malorum,
perpurgatus est is locus a nobis quinque libris,
ut quid a quoque et quid contra quemque philosophum diceretur intellegi posset.

fin. 1,11f.

[...] id, quod his libris quaeritur,
qui sit finis, quid extremum, quid ultimum,
quo sint omnia bene vivendi recteque faciendi consilia referenda,

quid sequatur natura ut summum ex rebus expetendis,
quid fugiat ut extremum malorum?

Att. 13,19,4

Ita confeci quinque libros περὶ τελῶν,
ut Epicurea L. Torquato,
Stoica M. Catoni,
περιπατητικὰ M. Pisoni darem

fin. 1,13

Ut autem a facillimis ordiamur,
prima veniat in medium Epicuri ratio ...

div. 2,2

Totidem subsecuti Tusculanarum disputationum
res ad beate vivendum maxime necessarias aperuerunt.
Primus enim est de contemnenda morte,
secundus de tolerando dolore,
de aegritudine lenienda tertius,
quartus de reliquis animi perturbationibus,
quintus eum locum complexus est,
qui totam philosophiam maxime inlustrat:
docet enim ad beate vivendum
virtutem se ipsa esse contentam.

div. 2,3

Quibus rebus editis
tres libri perfecti sunt de natura deorum,
in quibus omnis eius loci quaestio continetur.
Quae ut plane esset cumulateque perfecta,
de divinatione ingressi sumus his libris scribere;

div. 2,3

quibus, ut est in animo, de fato si adiunxerimus,
erit abunde satisfactum toti huic queastioni.

div. 2,3

Interiectus est etiam nuper liber is,
quem ad nostrum Atticum de senectute misimus;

fin. 1,1

... fore ut hic noster labor
in varias reprehensiones incurreret.
(1.) nam quibusdam, et iis quidem non admodum indoctis,
totum hoc displicet pholosophari.
(2.) Quidam autem non tam id reprehendunt,
si remissius agatur,
sed tantum studium
tamque multam operam ponendam in eo
non arbitrantur.
(3.) Erunt etiam,
et ii quidem eruditi Graecis litteris,
contemnentes Latinas,
qui se dicant in Graecis legendis
operam malle consumere.
(4.) Postremo aliquos futuros suspicor,
qui me ad litteras vocent,
genus hoc scribendi,
etsi sit elegans,
personae tamen et dignitatis esse negent.

fin. 1,2

(1.) Quamquam philosophiae quidem vituperatoribus
satis reponsum est eo libro,
quo a nobis philosophia defensa et collaudata est,
cum esset accusata et vituperata ab Hortensio.

fin. 1,2

(2.) Qui autem, si maxime hoc placeat,
moderatius tamen id volunt fieri,
difficilem quandam temperantium postulant
in eo, quod semel admissum
coerceri reprimique non potest,
ut propemodum iustioribus utamur illis,
qui omnino avocent a philosophia,
quam his, qui rebus infinitis modum constituant ...

fin. 1,2

(3.) Iis igitur est difficilius satis facere,
qui se Latina scripta dicunt contemnere.
In quibus hoc primum est in quo admirer,
cur in gravissimis rebus non delectet eos sermo patrius,
cum idem fabellas Latinas
ad verbum e Graecis expressas
non inviti legant.

fin. 1,11

(4.) qui autem alia malunt scribi a nobis,
aequi esse debent,
quod et scripta multa sunt,
sic ut plura nemini e nostris ...

fin. 1,11

... cum sit inter doctissimos summa dissensio,
quis alienum putet eius esse dignitatis, quam mihi quisque tribuat,
quid in omni munere vitae optimum et verissimum sit, exquirere?

fin. 1,12

... in quibus, quantum potuimus,
non modo quid nobis probaretur,
sed etiam quid a singulis philosophiae disciplinis diceretur,
persecuti sumus.

fin. 3,3

Stoicorum autem non ignoras
quam sit subtile vel spinosum potius disserendi genus,
idque cum Graecis tum magis nobis,
quibus etiam verba paranda sunt
inponendaque nova rebus novis nomina.

fin. 3,40

„Ne tu“, inquam „Cato, verbis illustribus
et id, quod vis, declarantibus!
Itaque mihi videris Latine docere philosophiam
et ei quasi civitatem dare.
Quae quidem adhuc peregrinari Romae videbatur

nec offerre sese nostris sermonibus,
ista maxime
propter limatam quandam et rerum et verborum tenuitatem.

fin. 3,39

Quas enim κακίας Graeci appellant,
vitia malo quam malitias nominare.

fin. 3,26

... sentis enim, credo,
me iam diu, quod τέλος Graeci dicant,
id dicere tum extremum, tum ultimum, tum sumnum;
licebit enim finem pro extremo aut ultimo dicere ...